ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

FRID. CHR. DAHLMANN D.

CUM SENATU

SUCCESSOREM

IN

SUMMO MAGISTRATU ACADEMICO

FRIDER. BERGMANN D.

CIVIBUS SUIS

HONORIS ET OFFICII CAUSA

COMMENDAT.

Tractantur Graecorum de Lynceis fabulae.

GOTTINGAE

TYPIS DIETERICHIANIS.

cIↄIↄcccxxxvii.

Summum magistratum academicum per bis sex menses secunda fortuna gestum his Calendis Martiis excipit a collegis electus et ab illustrissimis universitatis curatoribus approbatus vir consultissimus

FRIDERICUS BERGMANN D.

quem nostis, commilitones, et magnam partem etiam experientia docti estis, non minore mentis vi et vigore commodis vestris veraeque saluti prospicere, quam perniciosa omnia et a iusta studiorum ratione aliena ab hac bonarum artium et literarum sede arcere. Sinite, commilitones dilectissimi, ut vobis benefacere studeat, atque strenuum illum animi vigorem et Lynceam, qua pollet, perspicacitatem non ad exploranda prava consilia intendere ei opus sit, sed ad utilissima quaeque et iucundissima vobis dispicienda: praesertim hoc tempore, quibus novum academiae s[illegible] iam instat, faustissimis illud votis salutandum et auspicatissimo exordio inchoandum. Hoc saltem tempore inveterata illa Germanicarum academiarum ulcera apud nos neve occulte serpant neve palam prodeant, sed ea tantum, quae literarum universitates moribus et ingeniis salutaria attulerunt, imprimis generosus ille spiritus, qui non lucri cupidine, non formidine poenae, sed libero animi impetu ad optima quaeque sequenda agitur, utinam ex civium nostrorum dictis factisque omnibus eluceant.

Mythologiam Graecorum, nunc multi sunt, qui praeceptis quibusdam generalibus sibi valde emendare et promovere videantur. Quorum alii, ne scire quaeramus, quae sciri nequeant, nobis occlamant, tanquam sciri aliquid non posse antea intelligi possit, quam omnes modi tentati fuerint. Quid quod interdum evenit, ut cum omnes viae iam tentatae et desperatae esse videantur, una illa latuerit, quae ad intellectum rei angusto quodam et arduo tramite ducat. Sed nimirum illi non sibi, sed aliis nesciendi hanc necessitatem, velut Gorgonem in scuto, opponere solent, ac saepe de iisdem rebus, in quibus aliorum studia repudiant, iidem homines

miras opiniones summa licentia confingunt. Alii contra, audaciore quodam spiritu instincti, ad fabulas recte aestimandas poeticam imprimis facultatem requiri monent: verissime profecto, modo poesin, quam nobis venditant, persuadeant eandem esse, quae in antiquis fabulis insit. Id vero, cum credibile non sit, aut casu effici posse aut mira quadam antiquorum et noviciorum ingeniorum conspiratione (eorum dico quae fabulas illas invenere, et quae eas nunc enucleare student): non video quomodo illi veram mythorum condicionem intellecturi et demonstraturi sint, nisi si ratiocinatione probabiliter instituta poeticam facultatem intra certos fines coercuerint et in rectam viam deduxerint. Forsitan igitur in hac discrepantium opinionum pugna ii maxime sequendi sint, qui generalium praeceptorum inanem strepitum aversantes nihil in ea re profici putant, nisi singulis fabulis examinandis atque condicione et origine earum ita explorandis, ut ex aliis doctrinae antiquitatis partibus, quae iam melius cognitae sunt, pleraque subsidia petantur, atque omnino a certis, notis, illustribus ad incerta, ambigua, obscura quasi calculo quodam subducto procedatur. Hoc opus si ex sententia successerit, et manifesta quaedam exempla fabularum proposita sint, quarum sensum longa oblivione obscuratum mythologis recentioribus probabili ratiocinatione indagare contigerit: his insistendum et ex his analogias constituendas esse, quas ad reliquas fabulas explicandas adhibere liceat. Sic enim effici tandem posse, ut fabularum interpretatio, in qua plerique etiamnum omnia sibi licita esse autumant, in certam artis formam redigatur.

Nomina mythicarum personarum magnam partem vim et significatum earum prodere in confesso est. Sed horum nominum saepe est ea ambiguitas et obscuritas, ut, nisi argumenta fabularum cum nominibus concinant, ex sola etymologia non ii fructus percipiantur, quos alioquin expectaveris. Veruntamen in fabula de L y n c e i s explicanda ab ipso nomine rem exordiri iuvabit. Iam nomen Graecum *Λυγκεύς* a l y n c e bestia derivatum esse constat. Lynces autem antiquitus nobiles sunt propter oculorum vim claritatemque visus. Lynces, Plinius scribit, clarissime omnium quadrupedum cernere, N. H. XXVIII, 8, 32. §. 122. ed. Sill. Quid quod ipsa ferae appellatio ab hac oculorum virtute desumpta est. Nam per omnes linguas, quae cum Graeca et Latina cognatae sunt, radices egit latissime stirps quaedam vocabulorum, cuius necessaria elementa haec sunt ΛΥΚ, LUC, significatio autem lucem atque eum sensum, qui luci respondet, id est visum, comprehendit. Primitiva radicis forma inest in *λυκάβας*, lucis via, id est annus, in *ἀμφιλύκη νύξ*, id est diluculum, quamquam in hac aliisque vocibus lingua Graeca ab ipsa luce paululum deflexit ad signifi-

cationem dubii lucis et tenebrarum confinii. Cf. quae anno superiore *de partibus noctis et diei* disputata sunt p. 10. Producta autem vocalis inest in lūx, lūceo. Sed Graeca lingua in formandis vocabulis vocalem *υ*, ubi sequitur muta, non liquida aut vocalis, saepe auget praeposita *ε*; sic factum est *λευκός* et verbum *λεύσσω*, quod easdem mutationes coniunctas expertum est, quae seiunctae observantur in *τεύχω* a radice ΤΥΧ et in *μαλάσσω* a ΜΑΛΑΚ descendente. Quocirca Buttmanno assentiendum est, qui aliis adductus rationibus, in Gramm. Graeca ampliori T. I. p. 384., aoristum *ἔλευσα* apud bonos scriptores reperiri negat: ille enim ab hac stirpe vocabuli descendere nequit. Ac vero eadem elementa ΛΥΚ etiam alio augmento amplificari possunt, per adiectionem literae liquidae N, sicut in nomine aviculae *ἴυγξ* ab *ἰύζω*, *ἰυγή*. Sic ortum est nomen lyncis, translatum e Graecia in Italiam et cognatum ei appellatione, qua nostrates utuntur (*Luchs*), quae etiam in Germanica lingua vocabulis lucis et videndi (*lugen*, anglice *to look*) affinis est, ac cum tota hac nominum et verborum familia ex communi linguarum earum patria ad nos migrasse videtur. Verum ut redeamus ad Lynceum mythologicum, primariam huius personae virtutem in oculis positam fuisse, tam pervulgatum est, ut etiam in proverbium cesserit. *Βλέποντ' ἀποδείξω σ' ὀξύτερον τοῦ Λυγκέως*, Chremylus Pluto pollicetur apud Aristophanem Plut. 210. *Quis est tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat*, scribit Cicero ad famil. IX, 2. *Homo perspicacior Lynceo vel Argo et oculeus totus*, Appulei. Metam. II, 36. *Non possis oculo quantum contendere Lynceus*, Horat. Epist. I, 1, 28. cf. Serm. I, 2, 90. Alia affert Tib. Hemsterhus. in Luciani Timon. 25. T. I. p. 138. Multa traduntur mirabilia de eius videndi vi, praecipue a scriptoribus rerum Argonauticarum, potuisse eum, quae sub terra atque in fundo maris et in ipsis inferis essent, oculis cernere. Haec Apollon. Rhod. Argonaut. I, 151 sqq., Valer. Flaccus I, 462. Orphicus poëta Argonaut. 182., etiam Schol. in Aristoph. Plut. 210. et Suidas s. v. *Λυγκεύς*. Quae miracula praepostera illa pragmaticorum curiositas sic interpretata est, ut auri argentive metalla sub terra latentia arcanis quibusdam indiciis eum invenisse hac fabula significetur. V. Hygin. fab. 14., Palaephat. Incredib. 10., cuius verba reddunt Schol. in Aristoph. l. l., Tzetzes in Lycophr. 553. Aptius autem acutissimi visus signum memorat Plinius, N. H. II, 17, 15. §. 78. ed. Sillig., vidisse Lynceum novissimam primamque lunam eadem die vel nocte: quod nullo alio in signo quam Ariete fieri posse. Et in eandem fere sententiam restituendus videtur locus male affectus Hygini fab. 14.: *alii aiunt Lynceum noctu nullum vidisse*; quod enim Barthius posuit: *nocte illuni*,

vix satisfaciet, nisi addideris *lunam*. Ceterum homo ille oculatissimus, qui ab Lilybaeo, Siciliae promontorio, Carthaginiensium classem e portu egredientem conspiceret, quamquam a recentioribus quibusdam fabulis his immixtus, ab antiquis non Lynceus appellatur et ab hac fabula segregandus est. V. Valer. Max. I, 8., ext. 14.

Omnes, quos supra laudavi scriptores, Lynceum intelligere videntur Messenium, qui Apharei filius et Idae frater fuisse perhibetur. Hic enim cum fratre inter Argonautas recensetur. De his fratribus quae traduntur, coniunctissima sunt cum fabulis de Castoribus, quorum cum Apharetidis rixae et proelia antiquam quandam Laconum et Messeniorum simultatem significare videntur. Celebratissima est fabula de ultima et interneciva earum pugna. Cuius narrationis cum duae sint inter se diversae formae: alteram, quae causam discidii ex raptu Leucippidum virginum repetit, quarum nuptias Apharetidae ambierint, brevi transire liceat, cum plane ignoretur, ex quibus fontibus ea narratio fluxerit. Extat quidem apud Theocritum (si Theocritus est) XXII, 137 sqq., Lycophronem Cass. 546. Ovidium Fast. V, 699. Hyginum fab. 80. Schol. in Homer. Il. III, 243. Tzetzam in Chiliad. II, 48, 686. Sed illustrior est altera forma, quam ex antiquo Cypriorum carmine ductam esse constat. Cypria enim, cum belli Troiani causas et initia celebrarent, qui factum esset, explicare debebant, ut Dioscuri, Helenae fratres, neque raptum sororis prohiberent neque cum reliquis Graeciae heroibus ad eam repetendam se accingerent. Itaque excerptum illud Cypriorum, quod Procli diligentiae debemus, post narrationem de Helenae raptu sic pergit: Ἐν τούτῳ δὲ Κάστωρ μετὰ Πολυδεύκους τὰς Ἴδα καὶ Λυγκέως βοῦς ὑφαιρούμενοι ἐφωράθησαν· καὶ Κάστωρ μὲν ὑπὸ τοῦ Ἴδα ἀναιρεῖται, Λυγκεὺς δὲ καὶ Ἴδας ὑπὸ Πολυδεύκους, καὶ Ζεὺς αὐτοῖς ἑτερήμερον νέμει τὴν ἀθανασίαν. Ex hoc fonte Pindarum, qui in multis rebus cyclicorum vestigia pressit, narrationem Nemeon carm. X. v. 60 (111) propositam repetiisse, cum antiqui tum recentiores interpretes monuerunt. V. imprimis Dissenium in ed. Boeckhiana p. 472., in Gothana p. 509. Neque aliunde fluxerunt, quae ab Apollodoro III, 11, 2. Pausania IV, 3, 1. Hygino Poet. astr. 22. Tzetza in Lycophron. 511 et 549. traduntur. Ex his scriptoribus hic fere fabulae tenor efficitur. Apharetidas una cum Dioscuris boum greges ex Arcadia praedatos esse, sed in distribuenda praeda hos se ab illis fraudatos putasse, ac propterea eosdem boves aliosque greges ex stabulis Apharetidarum abegisse. Qua in re ne opprimerentur ab adversariis, delituisse eos in cava quercu, sed etiam in hoc

latibulo a Lynceo, qui forte a summo Taygeti cacumine terras undique subiectas specularetur, conspectos esse. Hac de re pulcri hi ex Cypriis versus a SCHOL. in PINDARI Nem. X, 114. et TZETZA in LYCOPHR. 115. et in Chiliad. II, 48. v. 711 sqq. servati sunt, quos ex his scriptoribus, neglectis tamen Chiliadibus, in Cypriorum fragmentis posuit CAR. GUIL. MÜLLER de cyclo Graec. epico p. 89.:

Αἶψα δὲ Λυγκεὺς
Τηΰγετον προςέβαινε ποσὶν ταχέεσσι πεποιθὼς,
Ἀκρότατον δ' ἀναβὰς διεδέρκετο νῆσον ἅπασαν
Τανταλίδου Πέλοπος, τάχα δ' εἴςιδε κύδιμος ἥρως
Δεινοῖς ὀφθαλμοῖσιν ἔσω δρυὸς ἄμφω κοίλης,
Κάστορα θ' ἱππόδαμον καὶ ἀεθλοφόρον Πολυδεύκεα.

Sic enim propter testium consensum scribendi esse videntur, quamquam quaedam in versuum et sermonis rationibus ab Homerico usu discrepent. PINDARUS de eadem re:

Ἀπὸ Ταϋγέτου πεδαυγάζων ἴδεν Λυγκεὺς δρυὸς ἐν στελέχει
Ἡμένους· κείνου γὰρ ἐπιχθονίων πάντων γένετ' ὀξύτατον
Ὄμμα.

Itaque Apharetidae cum Dioscuros ex improviso adorti essent, Castorem statim ab Ida interfectum esse, sed Pollucem, in vindicando fratre acerrimum, fratres fugientes persecutum esse et Lynceum prope Apharei patris sepulcrum trucidasse, Idam autem fortiter dimicantem a Iove, Pollucis patre, fulmine prostratum esse. Haec omnia crediderim (si hanc quaestionem in transitu attingere licet) ex mente Cypriorum poetae eorumque scriptorum, qui sua inde hauserunt, in Messenia gesta esse, cum Dioscuri in ipsis gregibus abigendis a Lynceo et Ida deprehensi essent (*τὰς Ἴδα καὶ Λυγκέως βοῦς ὑφαιρούμενοι ἐφωράθησαν*): quanquam alii sepulcrum illud Amyclis in Laconia, sicut LYCOPHRO v. 559., alii in ipsa Spartanorum urbe fuisse tradiderunt, sicut HYGINUS poet. astr. II, 22.; ipsique Spartani Pausaniae et Apharei et Idae Lynceique sepulcrum in sua urbe ostendebant, III, 11, 8. 13, 1. coll. 14, 7. Nempe, cum Messenii e patria eiecti et ager eorum pars Laconiae factus esset, etiam antiquae fabulae et vetustatis monumenta Spartam translata in gloriam victorum cesserunt. OVIDIUS Fast. V, 708. pugnam Aphidnae factam esse narrat, qui vicus Laconicus, ab Attico cognomini distinguendus, Leucippidum natale solum habebatur. V. STEPHAN. BYZANT. s. v. *Ἄφιδνα* et cf. HYGIN. P. A. II, 22.

Quod autem ad Lynceum attinet, perspicacitatem primariam eius virtutem esse, etiam hac fabula docemur. Praeterea versus illi ex Cypriis et Pindaro producti ad ipsam fabulae originem

dispiciendam digitum intendere videntur. Etenim nihil ei narrationi subesse, nisi memoriam hominis cuiusdam bene oculati poetarum figmentis auctam et ornatam, minus credibile est, cum in universum constet, non fortuitos singulorum hominum casus, sed ipsam rerum et locorum naturam populorumque condicionem et fortunam fabularum specie expressas et ad posteros delatas esse. Itaque verisimilius est longinquum illum prospectum, qui ex summo Taygeti cacumine in omnes terras circumjectas patebat, cum antiquis Graecis mirationem faceret, in eorum animo ad imaginandum sanequam proclivi imaginem excitasse genii cuiusdam sive daemonis ex hac altissima specula prospicientis. Ac facile fieri poterat, ut ex duobus populis, qui Taygeto contigui erant, alter hunc Lynceum sibi tanquam patrium heroem vindicaret, eumque cum Ida (cujus nomen aperte a vocabulo *ἴδη*, id est saltus, descendit) coniunctum Lacedaemoniorum Dioscuris opponeret.

Haec fortasse eo probabiliora videbuntur, si paucis declaraverimus, quantopere antiqui Graeci prospectu delectati sint, qui ex montibus et collibus capitur, et quam proclives fuerint ad fabulas inveniendas, quibus illud spectaculum celebrarent atque etiam in mirificam amplitudinem augerent. Omnes montium vertices, qui, cum ventus forte nubes discussit, primi apparent, ab Homero aliisque poetis *σκοπιαί*, id est speculae, dicuntur, haud dubie, quia inde speculari, *σκοπιᾶσθαι*, licet. V. praecipue Il. XVI, 299. coll. VIII, 557. Aristophan. Nub. 281. His speculis etiam multi dii gaudent, imprimis Pan, qui cum per saltus vagatur et virgulta omnia perrepit, tum summa cacumina, unde greges pascentes conspicere possit, conscendit, *ἀκροτάτην κορυφὴν μηλόσκοπον εἰσαναβαίνεν*, ut est in Homer. hymno XIX, 11. Cum Pane Nymphis communes sunt ludi, eademque gaudia, hinc *Ἰδαιᾶν νυμφᾶν σκοπιαί* apud Euripidem Hel. 1324. cf. Philostr. Imagg. II, 4. Sed etiam Apollo in delubris suis constituendis montium cacumina et speculas sectatus est, *κινηθεὶς ἐπῄει γᾶν καὶ θάλασσαν καὶ σκοπιαῖσιν μεγάλαις ὀρέων ὕπερ ἔστα*, ut Pindarus in Partheniis cecinit, fragm. 9. apud Boeckhium. Ac Iovi cum in summis quibusque montibus, Olympo, Ida, Lycaeo, Atabyro, Graeci aras et delubra consecrarent, praeter alias causas etiam hanc habuerunt, quod Iuppiter longinquo inde prospectu populos late regere credebatur: sicut a singularum urbium arcibus civitates inspiciebat, *Ἐπόψιος* iccirco dictus, teste Callimacho in Iov. 82. Non enim alienam esse illam notionem ab antiquis Graecis, ipse Homerus docet, apud quem Iupiter, postquam in summo Idae cacumine, Gargaro, consedit, ubi delubrum cum ara ei dedicatum erat, nunc Achaeos cum Troianis pugnantes spectat, nunc

oculorum aciem in Thraciam et Moesiam usque ad nomadas Equimulgos, iustissimum sibique acceptissimum populum, dirigit. V. Il. VIII, 47. XIII, 4. Immensus sane horizon: sed etiam ex Argaeo, Cappadociae monte, et Ponticum et mediterraneum mare conspici, antiqui sibi persuaserant (v. Strab. XII. p. 538.); atque ex Haemi cacuminibus, varii scriptores tradunt, et Ponticum mare et Adriaticum cerni potuisse. V. Ioann. Beckmanni explic. Aristot. de mirab. auscult. c. 111. p. 226 sq. Ut haec et similia figmenta mittamus, plures sunt in Graecia montium vertices et loca edita, quae a prospectu nomen suum proprium acceperint. Arduum aliquod iugum, quod a Parnasso proiicitur et Delphorum agrum ab reliqua Phocide dividebat, *Κατοπτήριος* dicebatur, sine dubio quod inde in utrumque territorium despiciebatur. Strab. IX. p. 423. Ipsius Taygeti alterum cacumen Pausanias III, 20, 5. scribit dici Euoram, quod manifeste ductum ab *εὖ* et *ὁρᾶν*, ut vix dubitem ad hunc ipsum verticem fabulam de Lynceo referre. In faucibus Othryos montis Thaumaci urbs sita erat, qua Thessaliae montuosae regiones in magnum et latissime patentem campum aperiuntur, vel ut Livii potius verbis pulcerrimis utar, XXXII, 4., *Thessaliae transeunti confragosa loca implicatasque flexibus vallium vias, ubi ventum ad hanc urbem est, repente velut maris vasti, sic immensa panditur planities, ut subiectos campos terminare oculis haud facile queas. Ab eo miraculo Thaumaci appellati.* Locrorum in Italia urbs in colle sita erat, qui Ἐσῶπις, id est conspectus, dicebatur. V. Strab. VI. p. 259. Sicyoniorum in Peloponneso arci antiquum nomen Epopes fuisse, inde colligitur, quod Ceres, quae ibi omnium deorum maxime colebatur, Epopis appellabatur. Cf. Hesych. s. v. Ἐπωπίς cum Pausan. II, 11, 2. ac Strabone VIII. p. 382., qui hinc totum illum collem *Δήμητρος λόφον* dictum refert. Nimirum ab hoc colle amoenissimus capitur prospectus in agros fertilitate insignes Corinthiumque sinum ac montes oppositos, qui pluribus quasi gradibus usque ad bicipitem Parnassum attolluntur. Ab hoc antiquo arcis nomine heros quidam patrius Sicyoniorum Epopeus dictus est. Sed longior etiam prospectus ex vicina Acrocorintho in utrumque mare et Peloponnesum atque Atticam patet; quapropter antiquum eius nomen Ephyram ab Ἐφόρα derivandum esse videtur, Aeolica illa mutatione vocalis *ο* in *υ*, cuius aliud in fabulis Corinthiorum exemplum est Sisyphus, a v. *σοφὸς* dictus. Accedit, quod Ephyra etiam Epope appellata est, cuius rei ea causa fuisse traditur, quod Sisyphus inde Iovem Aeginam rapientem conspexerit. V. Eustath. in Iliad. II, 570. p. 290. ed. Rom. Stephan. Byz. s. vv. Ἐφύρα et Κόρινθος. Quorum quae ultimo loco diximus, ea iam occupata sunt in nostris Notit. liter. a. 1833. p. 86.

Haec adiecimus ad confirmandam eam opinionem, quam de Lynceo Messenio proposuimus. Sed multo obscurior et nominis et universae fabulae ratio est in altero Lynceo, Argivo. Hic Lynceus Aegypti et Argyphiae nymphae fertur fuisse filius, ac, cum Aegyptiadae Argos venissent et Danaum invitum invitas sibi filias despondere coegissent, Hypermnestram in matrimonium accepisse. Hanc autem, traditum est, cum sorores eius omnes procos suos iugularent, unam marito pepercisse, vel quod ipsa Veneris maiestatem pie coleret vel quod pudorem suum Lynceus reveritus esset. Sic Pausan. II, 1, 5. Schol. in Il. IV, 171. et in Pindar. Nem. X, 6. Danaum autem filiam, quae sola legibus suis non obtemperasset, publice accussasse, sed Argivos eam iudicio publice constituto omni culpa exsolvisse. Id iudicium Argivi fabulabantur, sicut Athenienses Areopagum, in posterum tempus durasse; Pausanias II, 20, 5. illud κριτήριον, Dinias Argolicorum scriptor in Schol. in Eurip. Orest. 871. a situ πρῶνα (sicut Euripides ἄκραν), alii in iisdem Schol. 872. a concione populi Ἁλιδιάδα dictum esse tradunt. Cuius rei ut diis gratiam referret, Hypermnestram et Veneri statuam posuisse et delubrum dedicasse Dianae Suadae. V. Pausan. II, 19, 6. 21, 1. Idque coniugium Argivis fuisse faustissimum, nam ex Abante, Lyncei et Hypermnestrae filio, reges Argivos, qui ante Pelopidas has sedes tenuerint, ortos esse. Hinc magnus apud Argivos horum coniugum honor, Lyncei et Hypermnestrae templum (Hygin. fab. 168.) et commune sepulcrum (Pausan. II, 21, 2.) et statuae Delphis dedicatae (Id. X, 10, 2.). Ac magna sane et antiqua debebat esse Lyncei fama, cum Hercules ab Hesiodo in Scut. 327. Λυγκῆος γενεὴ appelletur, et Ἄργος Λυγκήϊον ab Apollonio Rhod. I, 125., ubi quod Wellauerus contra codicum fidem posuit Λυρκήϊον, factum nollem, et Argivi teste Stephano Byzantio Λυγκεῖδαι. Et tradebantur sine dubio multa ab antiquis poëtis de Lynceo, quorum nunc tenuia supersunt vestigia, velut quae ex Archilocho de pugna Danai et Lyncei a Malela Chronographo IV. p. 68. ed. Bonn. relata sunt. V. Archilochi fragm. coll. Liebel 131. Concinunt cum hac narratione, quae Hyginus de ludis Argivis, qui ἀσπὶς ἐν Ἄργει dicuntur, a Lynceo conditis tradit, Danai scutum ex templo Iunonis refixum et Abanti a Lynceo patre donatum esse, quod nuntium de Danai obitu primus attulisset, fab. 170 et 273. Cf. de his ludis Spanhem. in Callim. Lav. Pall. 35. Boeckh. in explic. Pind. Ol. VII. p. 175. Sed in universum antiquiores huius de Danao et Lynceo fabulae fontes nos latent, nisi quod Argivorum popularem famam cum ipsis locis et vetustatis monumentis coniunctam omnium fontium antiquissimum esse, ex re ipsa intelligitur. Sed ex antiquo carmine

epico, Danaide, quod quinquies mille et quingentis versibus constitisse, ex tabula Borgiana docuit Heerenius, in Bibl. ant. lit. et art. P. IV. p. 56 sqq., duo tantum versus supersunt, qui ad pugnam inter Danaides et Aegyptiadas ad Nilum fluvium commissam pertinent. Aeschyli fabula erat Danaides, sed de argumento nihil fere nobis antiquorum scriptorum fide innotuit, nisi quod ad Venerem summa rerum referebatur. V. Welcker. de Aeschyli trilogia p. 390. E Supplicibus tamen atque Prometheo v. 856 sqq., sicut ex Pindaro Nem. X, 6. et paucis Hecataei verbis a Schol. in Eurip. Orest. 872. laudatis intelligitur, eandem iam tum fuisse fabulae speciem, quam a recentioribus scriptoribus fusius explicatam habemus. V. Apollodor. II, 1, 5., Pausan. II, 16. et aliis loc. laud., Ovid. Her. 14., Horat. Carm. III, 11, 33 sqq., Hygin. fab. 168., Schol. in Pind. Nem. X, 10., Schol. in Eurip. Hecub. 884. (ubi quaedam a vulgata fabulae forma diversa reperiuntur) et in Orest. 861., Servius in Virgil. Aen. X, 497., Tzetzes Chil. VII, 136, 349. qui Hippostrato, scriptore genealogico, utitur. Singularis plane erat Theodectis narratio, tragici poëtae ex eorum numero, qui in fabularum argumentis componendis nihil nisi *περιπετείας* et *ἀναγνωρίσεις* captabant. De huius tragoedia Lynceo Aristot. Poet. 11.: *καὶ ἐν τῷ Λυγκεῖ ὁ μὲν ἀγόμενος ὡς ἀποθανούμενος, ὁ δὲ Δαναὸς ἀκολουθῶν ὡς ἀποκτενῶν· τὸν μὲν συνέβη ἐκ τῶν πεπραγμένων ἀποθανεῖν, τὸν δὲ σωθῆναι.* et c. 18. *ἐν τῷ Λυγκεῖ τῷ Θεοδέκτου δέσις μὲν τά τε προπεπραγμένα καὶ ἡ τοῦ παιδίου λῆψις, λύσις δ' ἡ ἀπὸ τῆς αἰτιάσεως τοῦ θανάτου μέχρι τοῦ τέλους.* Scilicet Theodectes finxerat, Hypermnestram coniugium suum cum Lynceo, quem occultum servasset, patrem celasse, sed proditam esse per infantem filium, qui ex eo matrimonio natus esset, a Danao nescio quo casu inventum et agnitum. Nunc Lynceum a socero suo in iudicium raptum esse, ut capite poenas furtivarum nuptiarum lueret, sed Argivos, Danai imperium iam dudum exosos, Lynceum absolvisse et Danaum capitis damnasse. Haec ex Aristotelis verbis divinare mihi videor; alia finxerunt recentiores Aristotelis interpretes, quorum opiniones, ne longus sim, sciens praetereo.

At vero in tota fabula, quam hactenus enarravimus et examinavimus, nullum dum vestigium eius significationis apparuit, quam in nomine Lyncei inesse pro certo haberi potest. Neque tamen deest auctor, qui etiam hunc Lynceum Argivum acuto visu celebrem fuisse ostendat. Nam Scholia in illum locum in Aristophanis Pluto: *Ὀξύτερον τοῦ Λυγκέως*, v. 210. haec habent: *Λυγκεὺς, ὡς αὐτὸς ἐν Δαναΐσι φησὶν, υἱὸς Αἰγύπτου· ἐροῦμεν*

δ' ἐκεῖ τὰ περὶ αὐτοῦ, ἐπεὶ δοκεῖ παρ' ἱστορίαν λέγειν· τοσοῦτον δὲ ὀξυωπέστατος ἦν, ὡς καὶ δι' ἐλάτης ἰδεῖν etc. Unde sua hausit SUIDAS s. v. Λυγκέως ὀξυωπέστερον βλέπεις. Cf. DINDORFII fragm. Aristoph. 258. Sed quod ille grammaticus Aristophanem incuriae arguit, quasi Lynceum Argivum et Messenium miscuerit, id iniuria facere videtur. Aristophanem enim in illa fabula, qua Danaides comicis personis induit, ipsum mythum vel negligenter vel indocte tractasse, non est credibile. Quanquam, quo artificio argumentum comoediae inde effecerit, vix divinari potest: nisi quod Danaidum chorum in Aegyptias e vulgo mulieres commutatum esse, ex versu ab ATHENAEO III. p. 114. c. servato (fragm. 253. Dindorf): Καὶ τὸν κυλλάστιν φθέγγου καὶ τὸν Πετόσιριν, intelligitur; nam κυλλάστις vulgare panis Aegyptii genus, et Petosiris cum Necepso astrologiae apud Aegyptios auctor habebatur.

Itaque auctorem habemus non contemnendum, etiam Argivum Lynceum fuisse ὀξυωπέστατον. Sed huius acuti visus nulla inest significatio in fabula, quam enarravimus. Itaque vera nominis ratio plane nos lateret, nisi aliquod fabulae eius corollarium se nobis offerret, quod solum lucem in tenebris ostendere videtur. Lynceum, narratur, nocte illa fratribus fatali Hypermnestra suadente fugisse Lyrceam, atque inde facis signo sublato sponsam de salute sua certiorem fecisse, hanc autem ex arce Argivorum, quae Larissa appellabatur, pari facis signo illi respondisse. Quapropter Argivos quotannis solennem aliquem diem facularum celebrasse, quo faculae tollerentur ac procul ostentarentur. Haec PAUSAN. II, 25, 4. Ἐς τοῦτο λέγεται τὸ χωρίον (Lyrceam dicit) Λυγκέα ἀποσωθῆναι τῶν πεντήκοντα ἀδελφῶν μόνον, καὶ ἡνίκα ἐσώθη, πυρσὸν ἀνέσχεν ἐντεῦθεν· συνέκειτο δὲ ἄρα αὐτῷ πρὸς τὴν Ὑπερμνήστραν, ἀνασχεῖν τὸν πυρσὸν, ἢν διαφυγὼν Δαναὸν ἐς ἀσφαλὲς ἀφίκηταί ποι· τὴν δὲ καὶ αὐτὴν ἀνάψαι λέγουσιν ἕτερον ἀπὸ τῆς Λαρίσσης, δῆλα καὶ ταύτην ποιοῦσαν, ὅτι ἐν οὐδενὶ οὐδὲ αὐτὴ καθέστηκεν ἔτι κινδύνῳ· ἐπὶ τούτῳ δὲ Ἀργεῖοι κατὰ ἔτος ἕκαστον πυρσῶν ἑορτὴν ἄγουσι. Nunc si observaveris, idem oppidum antiquitus, eodem Pausania teste, dictum esse Lynceam, facile intelligis, hoc loco totius de Lynceo fabulae quasi fundamentum quaerendum esse. Mutationem liquidae ν in ρ dialecto quadam Doriensium agresti factam esse, non mirum est: nam quod Pausanias tradit, a Lyrco, Abantis spurio filio, Lynceae nomen mutatum esse in Lyrceam, confictum est ab iis, qui ad omnia explicanda fabellam quandam in promptu habebant. Cum Lyncea Lyrcea dicta esset, etiam heros quidam extitit Lyrcus, quem non male Lyncei nepotem habebant, ut idem nomen, sicut assolet, in avo et nepote rediret. HESYCHIUS tamen

s. v. *Λυρκίου δῆμος* Lyrcium Lyncei filium fuisse scripsit. Ac perhibebatur etiam alius quidam Lyrcus, Phoronei filius, ex Argiva terra in Cariam terram venisse, cuius in Cauniorum fabulis magna fama erat. V. PARTHEN. narr. amat. 1. Omnino Lyrceum nomen non minus celebratum erat, quam antiquius Lynceum, ita ut Argiva terra etiam *Lyrceia terrus*, *Lyrcaea arva* diceretur a VALERIO FLACCO IV, 355. et OVIDIO Met. I, 598.

Iam quod attinet ad situm Lyrceae sive Lyrcei (sic STRABO VIII. p. 376. emendandus est), distabat id oppidum ab Argivorum urbe LX stadia, sed altiore loco situm erat, cum Lyrceus mons prope immineret. Hunc autem montem in confinio Argolidis et Arcadiae situm (qua de re nuper dixit NAEKIUS in Museo philol. Rhenano T. V, I. p. 28.) partem maioris iugi fuisse, quod Artemisium appellabatur et in Mantinensium finibus supra Argivum agrum attollitur, inde colligimus, quod Inachus fluvius a STRABONE VIII. p. 370 et SCHOL. in APOLLON. RHOD. I, 125. fontes habere in Lyrceo, idemque a PAUSANIA II, 25, 3. VIII, 6, 2. in Artemisio nasci traditur. Etiam poetam, sine nomine a STEPHANO BYZANTIO excitatum, qui *Λύρκειον ὕδωρ* dixit, Inachi fontes intellexisse, recte statuit HOLSTENIUS in Stephan. s. v. STATIUS autem quod Lyrcium fluvium ab Inacho distinguit, versu: *aret Lerna nocens, aret Lyrcius et ingens Inachus*, Theb. IV, 711, aut errat, aut Lyrcii nomine Cephissum significat, qui ex eodem Lyrceo monte decurrebat (v. STRABON. IX. p. 424.) et inter Argivorum flumina non ignobilis erat. V. PAUSAN. II, 15, 5. 20, 5. AELIAN. V. H. II, 33. POLEMON. in Schol. Eurip. Med. 835. Idque eo probabilius videri possit, quod STATIUS locorum admodum gnarum se ostendit, et etiam minimos rivos, Charadrum, Erasinum, Asterionem, Amymonen fontem, Licymnia stagna, prope Naupliam puta, enumerat, sed Cephissum silentio transit. Quod autem STRABO VIII. p. 370. de fabulosis et a poetis fictis Inachi fontibus dicit, id non pertinet ad hoc Lyrceos, sed ad miram illam opinionem, qua Inachus Argivus e longinquis terris ab Epirotico cognomine fluvio deducebatur, quam SOPHOCLES in Inacho, dramate satyrico, his versibus exornavit, servatis a STRABONE VI. p. 271. fragm. 265. ap. Dindorf.

Ῥεῖ γὰρ ἀπ᾽ ἄκρας
Πίνδου Λάκμου τ᾽ ἀπὸ Περῥαιβῶν
εἰς Ἀμφιλόχους κἀκαρνᾶνας,
μίσγει δ᾽ ὕδασιν τοῖς Ἀχελῴου,
κἀνθένδ᾽ ὑποβὰς εἰς Ἀργείαν
διὰ κῦμα τεμὼν ἥκει δῆμον
τὸν Λυρκείου.

Sic enim scribendi videntur hi anapaesti, paullo aliter, quam constituti sunt a PASSOVIO in Athenaeo III, II. p. 192.

Ex hoc igitur Lyrceo sive Lynceo monte, vel fortasse ex ipso vico subiecto, conspici potuisse Argivorum acropolin, cum locorum situs quem indicavimus tum illa ipsa fabula demonstrat. Nec iam dubitari potest, eum montem Lynceum dictum esse ab longinquo agri Argivi, qui inde capiebatur, prospectu. Itaque apparet, totius huius fabulae cardinem verti in situ huius cacuminis atque in ritu quodam antiquae religionis, quo in hoc vertice et in arce Argivorum et variis, puto, per terram Argivam locis faces accendebantur, quae nusquam clarius quam e Lynceo monte conspici poterant. Hoc si intellectum est, non desiderabimus auctorem eius rei Pausania vetustiorem, neque habebimus fabulam hanc vulgi sermone traditam atque cum sacro quodam ritu coniunctam, sicut nunc ab nonnullis fieri video, pro novicio periegetarum invento, sed pro antiquissima totius fabulae parte, quia ex hac sola narratione totius mythi origo aliquatenus intelligi potest.

Si quis autem eius fabulae originem curiosius introspicere velit, id fieri non poterit nisi universa de Danaidibus et Aegyptiadis narratione examinata. Longum autem est, omnia, quae de hac obscurissima Argivae mythologiae parte ab antiquis tradita et ab recentioribus disputata sunt, referre et expendere. Id quidem eorum, qui in mythis explicandis acrius studium posuerunt, consensu iam stabilitum est, fabulam de nuptiis Danaidum, quae eius erat primigenia et nativa forma, non ad consanguinitatem quandam Argivorum cum Aegyptiis, sed ad ipsam Argivi agri naturam et condicionem declarandam spectare. Pleraque sic expedivit VÖLCKERI sagacitas, in mythol. Iapetidarum p. 192 sq., cuius ab opinionibus HEFFTERUS, qui Danai nomen historiis vindicare studuerat, de sacr. Rhodiorum II. p. 43 sqq., nunc non magnopere discrepat. V. eundem librum III. p. VI sqq. — Argivorum terra in universum siticulosa et arida erat, quocirca ab ipso HOMERO Il. IV, 171. (quem locum neglexisse videtur ARISTOTELES Meteor. I, 14.) aliisque poetis *δίψιον* vel *πολυδίψιον* Ἄργος appellata est. V. NONNUS Dion. IV, 257. PLINIUS N. H. IV, 5, 9. §. 18. Hanc siticulosam terram *Δαναὴν* dixisse antiquos probabile, id est *δανὴν*, torridam, eadem geminatione vocalis *α*, quae est in v. *ταναός* conferendo cum *τετανός*, respicientes fortasse ad oppositam peninsulam Atticam, quae Κραναὴ, id est aspera et scruposa, dicebatur. Hinc ortus heros, qui eum terrae Argivae statum significaret, *Δαναός*. Sed Argivi deorum beneficio hanc terrae suae condicionem, si non penitus mutatam, temperatam certe esse credebant. Idque per Danaides factum esse, constans fama erat: quibus

iccirco et in terris et in inferis aquandi manet aeternum officium. Simplicissime eam famam testatur antiquus versus:

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δανααὶ θέσαν Ἄργος ἔνυδρον,

apud Strabonem VIII. p. 371 et p. 370. ex emend. Tyrwhitti, quae lectio praestare videtur ea, quam Eustathius affert: *Δαναὸς ποίησεν ἔνυδρον*, quamquam ab aliis puteorum inventio ipsi patri Danao tribuitur. Sed quod pro vivis fontibus putei arte effossi ponuntur, id iam mythographorum ingenium sapit, fabulam antiquam ad normam historiarum emendantium. Danaides autem fontes potius rivosque, quam puteos terrae Argivae fuisse, ipsa nomina testantur, quorum pars poeticas appellationes fontium et aquarum continet, magnamque similitudinem cum nominibus Oceanidum aliarumque nympharum habet, pars ipsa Argolidis fontium nomina comprehendit, Amymonen, Pirenen, Physadeam, Asteriam. Quae non inepte Danai filiae dicebantur, cum ex terra antea sicca et arida prorupisse crederentur. Celebratissima ex earum numero erat Amymone, Neptuni amica, quod nomen fontis omnium uberrimi erat, qui Lernaeam paludem maxime alebat, quam Argivi etiam gravissimo aestu nunquam plane exarescere ferebant. Pausan. II, 15, 5. Quanquam Statius, qui eam Argolidos condicionem, cum *Inachios haurit sitis ignea campos,* vividissimis coloribus descripsit, Theb. IV, 699 sqq., etiam Lernam tum exaruisse fingit. Sed etiam Inachi fontes locum suum in hac fabulosa stirpe tenuisse, eo magis consentaneum est, quod Argivi hunc fluvium, licet aestatis caloribus quotannis siccetur, mira quadam pietate et caritate amplexi sunt. Oceani filium et totius populi Argivi progenitorem eum perhibebant. Imprimis fontes Argolidis ad eius stirpem referebantur, neque dubitamus, quin apud Sophoclem, in Inacho fragm. 256., *Κρηνῶν Ἴναχε γεννᾶτορ, παῖ πατρὸς Ὠκεανοῦ* vel similiter pro lectione vulgata: *Ἴναχε γεννᾶτορ, παῖ κρηνῶν κ. τ. λ.* reponendum sit. Eae Inachi filiae, fontium Nymphae, tanquam alma numina sacris colebantur, quae ex stipibus collectis facere mos erat: quo pertinent versus illi tragici poetae, Aeschyli ut videtur,

Νύμφαις κρηναίαις κυδραῖσι θεαῖσιν ἀγείρω,
Ἰνάχου Ἀργείου ποταμοῦ παισὶν βιοδώροις,

quorum de recta lectione Guilelmum Dindorfium, Poët. Scen. Graec. Fragm. p. 14., laudasse sufficiet. Una Inachi filiarum ab Apollodoro II, 1. Laodice nympha fuisse traditur, Phoronei uxor et mater Niobes, quam Nioben Plinius N. H. IV, 5, 9. §. 17. fontem Argolidis esse docet. Quem autem Inachi fontes locum in ea fabula tenuerint, dubitari nequit, cum Lyncei et Hypermnestrae Danaidis coniugium aperte fontem aliquem prae-

stantissimum in Lynceo sive Lyrceo monte significet. Nam Hypermnestrae nomen, quod a praestantia sponsi ductum est, nihil nisi eximium huius fontis situm in altissimo regionis eius monte indicare videtur.

Quod autem Lynceus inter Aegyptiadas recensetur, id nos deducit ad eam fabulae partem, quae omnium expeditu longe est difficillima. Ut breviter dicam quod sentio (in quo si quis dissentiat, non aegre feram): Aegyptiadas illos, Danaidum immites procos, crediderim infestos esse ardores torridosque ventos, qui aestate ex Africa terra spirantes aquis interitum et agris siccitatem afferant. Itaque ea fabula iis temporibus orta esse videtur, quibus Graeci nomine Aegypti iam uterentur ad terras australes, ultra mediterraneum mare sitas, significandas. Quod autem Aegyptiadae a Danaidibus vincuntur, id quasi praesagium est, Argolidis fontes rivosque perennes fore, et nunquam calidis ventis plane exsiccatum iri. Idque sanequam ingeniose fabula illa significatur, Aegyptiadarum capita a Danaidibus in Lernaea palude defossa esse. V. Apollod. II, 1, 5. Pausan. II, 24, 3. Zenobius IV, 86. Apostolius Cent. XI, 88. Arsenius Violet. p. 334. ed. Walz. Sed Lyncei tamen nomen et condicionem, confitendum est, cum reliquorum Aegyptiadarum natura, si eam modo recte explicuimus, minime conspirare, sed eum, sicut sorte, ita etiam origine a fratribus suis plane differre. Itaque non possumus quin statuamus, Lynceum, id est genium eius montis, unde in campum Argivum prospicitur ac fluvius in illa regione maximus decurrit, cum Danai filia, id est Naiade quadam terram siccam irrigante, iam prius fabulis Argivorum coniunctum fuisse, quam Aegyptiadae in eum mythum introducerentur. Postea cum reliquae Danaides ab aestuosis illis procis ex Africa inviso amore vexatae esse fingerentur, etiam Lynceus, propter amorem Danaidis cuiusdam, illorum catervae immixtus est, sed, cum diversa eius esset natura et indoles, diversa etiam fortuna gavisus esse ferebatur. Fabulae enim, quibus antiqui populi studia sua et cogitationes expresserunt, non sicut allegoriae philosophorum, ex singulis notionibus ortae et statim absolutae sunt, sed ex tenui plerumque germine, accedentibus per temporum decursum aliis aliisque partibus, in magnum saepe ambitum excreverunt.